T H E S E S
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA DEPROMPTÆ
AD MENTEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
D. THOMÆ AQUINATIS
QUINTI ECCLESIÆ DOCTORIS

QUAS SUB AUSPICIIS

REVERENDISSIMI PATRIS
THOMÆ RIPOLL
PRÆDICAT. ORDIN. MAGISTRI GENERALIS

PUBLICO EXPONIT CERTAMINI
F. DIONYSIUS REMEDELLI
ORDINIS PRÆDICAT. IN COLLEGIO S. MARCI
PHILOSOPHIÆ AUDITOR

SUB ASSISTENTIA

R. P. F. AMBROSII CATARINI MARIÆ BARLOTTI

In eodem Collegio Philoſophiæ Lectoris.

F L O R E N T I Æ. MDCCXXXII.
Typis BERNARDI PAPERINII Ad Inſigne PALLADIS, & HERCULIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

oogle

REVERENDISSIME PATER.

Quanquàm nihil eſt, Reverendiſſime Pater, tam uſu protritum, quàm Philoſophiæ nomen, nihilque majore animi contentione excolitur, quàm ingenuæ hujuſmodi Artes, hoc præſertim tempeſtate, qua plerique omnes ad hæc Studia animum adjunxerunt, maximè in hac præſtantiſſimâ Civitate, Viri quoque Clariſſimi, & liberaliter educati: nihilominus philoſophicas Theſes propugnaturus, horrebam timore perculſus, at tantum non animo concidebam. Nam præter ingenii imbecillitatem, in eâ præſertim diſciplinâ, quæ ob rerum magnitudinem, atque ſplendorem mentis cujuſvis aciem perſtringit, & frequentem lectiſſimorum viro-

rorum Coronam, quæ in me de abditis rerum cauſis diſceptaturum oculos, animumque intendere debuerat, menti continenter obverſabatur nox illa, quam ſcientiæ, utcrque præclariſſimæ affundunt, diſcrepantes a vetuſtiſſimis uſque temporibus philoſophorum ſententiæ. Ut enim Barbariem, ejuſque rudes, & inconditas litteras prætercam, illæ liberalium diſciplinarum, & humanitatis inventrices Athenæ, ſtiſſis ſtudio in contraria ſapientiæ cultoribus, æternis potiùs diſſidiis viam ſternere viſæ ſunt, quam veritatis inquiſitioni; tam tamen in hac unà nervos omnes contendere fuiſſet operæpretium. Itaque veteres Græciæ Philoſophi, quique inter eos famimam ducere videbantur Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei, rem ſuaptè naturâ difficilem, & perobſcuram magis magiſque impeditam nobis reliquerunt, tum reſtituere, ac dilucidè explanare debuiſſent. Hæ quidem eorum partes erant: earum, cum munus ſuum minimè impleverint, animum deſponderunt, nec pauci, nec infimi Subſellii Philoſophi, qui confeſſati ſunt, animo recogitantes Delio ubique natatore opus eſſe, & in maximo rerum omnium ignoratione verſari aut præ humani ingenii hebetudine, rerumque obſcuritate contendebant, ac præclarè nobiſcum agi, ſi veriſimiliora tantùm conſectaremur, vel aſſenſionem quoque cohiberemus. Nec ab eâ labe naturæ ſcientiam eximdiarunt, qui patrum ferè noſtrorum memoria intermortuas hasce litteras in lucem revocare conati ſunt, ut ut adaucatis ceterarum diſciplinarum præſidiis non parum ſplendoris, & dignitatis ſcientiæ huic advenerit. Hic accedit S. Thomam Præceptorem noſtrum Angelicum ſatem nobis præferre, quippè qui veterum Philoſophorum eruditionem animo complexus, eam, ut ut reluctantem, Religioni, a qua plurimum abhorrebat, morem gerere coegit, maximique ſemper apud me ponderis erit D. Antiſtitis noſtri Antonini, Cœnobii hujus Parentis amantiſſimi monitum, quo Marſilium Ficinum, Clariſſimum hujus Urbis Civem ab aliorum Philoſophorum, præſertim Platonis ſui lectione deterruit, niſi primùm ad S. Thomæ Libros legendos ſe contuliſſet. Itaque planè confido fore, ut omnes æqui boni conſulant hanc Studiorum noſtrorum rationem. Tu verò maximè, Pater Reverendiſſime: accedit enim authoritas D. Thomæ, & Antonini, quos tecum maximoperè colimus, quique Familiæ noſtræ, cui jure, ac meritò præes, & præſidio fuerant, & ornamento. Hujus igitur Philoſophiæ Placita non injuriâ vindicabimus, & has Theſes, longè clarius tuis ſub auſpiciis, tuebimur.

PATERNITATIS TUÆ REVERENDISSIMÆ.

Humillimus, & Obſequentiſſimus Filius
F. Dionysius Remedelli.

THESES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA.

EX PROOEMIALIBUS PHILOSOPHIÆ.

I. CUM nominum notitia haud parva res ſit (ut jurè meritò divinus Plato Philoſophiæ, ac divinioris ſcientiæ auctor longè clariſſimus ſcriptum reliquit) ideo in exponendis Philoſophiæ Theſibus prius, quid Philoſophiæ nomine intelligatur ſcrutandum eſt. Philoſophia igitur, ſi Græcum nomen ex *philos*, & *ſophia* compoſitum interpretari velimus, nil aliud eſt, quàm ſapientiæ, vel cognitionis amor, ac ſtudium. Hujus nominis, quo ſcilicet rerum divinarum, & humanarum ſcientia exprimitur Pythagoram primum extitiſſe auctorem Laertius præ ceteris memorat, quod nomen adeo poſteris placuit, ut cum antea, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præſtare videbantur Philoſophi, ſive ſapientes appellarentur, ut ait *D. Aug. lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 2. Ipſam verò ſapientiam eſſe, quam præclare, & elegantiſſimè Tullius deſcribit, *rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, cognitionemque, quæ cujuſque rei cauſa ſit lib.* 12. *Officiorum*.

II. Quod ſi a Pythagora nomen & illuſtre decus accepit Philoſophia, hujuſcemodi tamen ſapientiæ longe ante Pythagoram, & antiquiora græcanicæ ſapientiæ lumina in terrarum orbe floruiſſe, proindeque à Græcis Philoſophiæ originem repetendam non eſſe jurè meritò eruditi, ac de litterario orbe benemeriti viri contra Laërtium invictè decertant.

III. Cum autem à Sacris Litteris erudimur, primum hominem, Adamum, ſcilicet, protoparentem noſtrum ſingulis animalibus propria nomina impoſuiſſe, ita ut *omne, quod vocavit Adam ipſum ſit nomen ejus* (*Gen. cap.* 2. *verſ.* 19.) *quod utique ſine ſapientiâ fieri non potuiſſe*, divinus Plato arbitra-

tratur (*in Cratylo*) hinc cum Angelico Præceptore (*par. 1. quæſt. 94. art. 3.*) dicendum eſt ipſum ſummâ ſapientiæ gloriâ inſignitum fuiſſe, ipſumque primum Philoſophum dici poſſe, ac debere.

IV. Qua verò ratione, quibuſve incrementis poſt primi noſtri Parentis labem, offuſamque menti noſtræ caliginem hujuſce rei cognitio ad poſteros pervenerit; licet definiri vix poſſit, & inficiari non audeamus ante Moſis tempora, necnon librorum ſacrorum exarationem aliquod ſapientiæ lumen a patribus in nepotes fere in omnes gentes derivatum fuiſſe; ceterum priſcæ & recentis ætatis de litterario orbe benemeritis viris adhærefcendo, pro aris, & focis contendimus, quotquot fuiſſe ſapientiæ ſtudioſos, præcipue Græcos Philoſophos, & Poëtas Moſaicis temporibus poſteriores ex libris ſacris, vel ex Hebræorum congreſſu ſuam omnem decerpſiſſe Sapientiam.

V. Ad Græcos autem ex Hebraicis fontibus derivata Philoſophia adeo accuratiſſimis illorum Studiis illuſtrata eſt, ut omnibus ſuis numeris abſoluta videretur, & ſic Philoſophiæ fons, qui principio unicus fuerat, in varias primum partes Logicam, ſcilicet, Phyſicam, Metaphyſicam, & Moralem diſtributus fuit, quæ diviſio magno conſenſu tum recentiorum, tum veterum recepta in illam coincidit, quam Platonici, teſte Cicerone, & Divo Auguſtino excogitarunt. Licet enim in tres partes eam diviſerint, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam, & mores, & in naturæ obſcuritatem, rurſus tamen hujus duas fecere partes, unam, videlicet, quæ naturæ auctorem, & res à ſenſibus remotas, alteram verò, quæ res ſenſibiles contemplaretur. In plura quoque deinde ſectarum genera, Jonicam, præcipue, Italicam, & Eleaticam, quæ Taletem, Pythagoram, & Xenophanem auctores habuerant, veluti in quoſdam rivulos ſit derivatus.

VI. Quæ Philoſophorum ſectæ, & aliæ multæ, quas Laërtius recenſet, licet virorum gloria maximè in toto terrarum orbe quondam floruerint, principem tamen locum Peripateticæ ſectæ concedimus, eamque libenti animo proſequimur, quam ab Ariſtotele Philoſophorum Principe inſtitutam Angelicus Doctor Thomas Aquinas Prædicatorum Ordinis decus, nec non Eccleſiæ Doctor, cui dictum eſt a ſumma ſapientia Patris *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, illuſtravit, Orthodoxæque veritati conſentaneam fecit.

VII. Quam perutile denique, & neceſſarium ſit Chriſtianæ Reipublicæ hujuſcemodi Studium, potiſſimum verò Logicæ, ac ſcholaſticæ uſus (relictis tamen inutilibus, & ineptis quæſtionibus) ad fidem tuendam, & conſervandam ab Eterodoxorum, & Gentilium debacchationibus ſacræ litteræ, & Sancti Patres unanimi calculo, quàm peregregiè teſtantur.

EX LOGICA.

VIII. Logica, ſeu benè cogitandi ars, quæ jurè meritò illuſtribus titulis honeſtata *Donum Deorum* a Socrate, *Diſciplina diſciplinarum* ab Aug. *Ars omnium artium* a Cic. dicta eſt, a Sophiſtarum cavillis, & inutilibus quæſtionibus, quæ, prob dolor! in Scholis agitantur expurgata, ut egregiè *Melchior Canus de locis Theologicis lib. 9. cap. 7.* effatur: utique adeo neceſſaria eſt ad alias ſcientias comparandas, ut ſi Mathematicæ tantùm diſciplinæ excipiantur, nulla propemodum ſcientia acquiri poſſit in ſtatu perfecto ſine ipſa.

IX. Cum igitur ſine Logica ſcientiarum cognitiones haberi nequeant, & alitùs earum origo altiùs ante Græcos Philoſophos repetenda ſit, pariter de ipſius Logicæ antiquitate dicere fas eſt, ac decet. Ceterùm licet fere ubique gentium longâ temporum ſerie Logica jam floruerit, primus tamen, qui illam accuratiùs tractavit, ac illius præcepta ſcriptis mandavit fertur Zeno Eleates (*ex Platone in Parm. & Laërtius lib. 9.*) qui cum Athenas veniſſet, librumque, quem de variis Logicæ præceptis conſcripſerat Socrati legiſſet, tanti fuit habitus, ut eadem præcepta Socrates Platonis Magiſter adhibuerit, quæ Logicæ præcepta deinde Divinus Plato cum uberiùs auxerit, & illuſtraverit, Logicæ inventor ab aliquibus habitus eſt. At verò cum omnium diligentiam, omniumque laudem longiſſimè ſuperaverit Ariſtoteles, qui, ſcilicet ſingulas Logicæ partes adeo eleganti ſtylo copiosè, ac accuratè diſpoſuit, ideo potiori jure Logicæ inventor exiſtimatur; de quo gloriari ipſemet conſueverat *cap. 12. Elenchorum*.

X. Ipſam quoque Logicam eſſe verè ſcientiam, ac per quaſdam regulas mentis noſtræ operationes dirigere, quibus mediantibus de rebus veritatem aſſequimur, cujus conſecutio ſcientiarum finis eſt, apud omnes compertum eſt. Tres autem tantùm dantur mentis operationes, ſcilicet ſimplex perceptio, Judicium, & diſcurſus; non autem methodus, quæ ad illas reducitur, quicquid perperam dictitent recentiores.

XI. Si igitur operationes mentis ſecundum Logicæ canones dirigantur veritatem ipſam nos poſſe aſſequi profiteri neceſſe eſt; non ita tamen, ut cum dogmaticis omnia nos poſſe comprehendere, ſive certam & evidentem de rebus omnibus cognitionem habere arbitremur, cum innumera adhuc nos lateant, quæ nos tenui vix conjecturâ divinando conſequimur; ſed contra Pyrronicos, & Acatalepticos de pluribus rebus de facto nos certam evidentemque notitiam conſequi poſſe, indeque veram ſcientiam dari pertendimus. Lactantius contra Accademicos *lib. 3.* divinarum inſtitutionum ſic urget: *Si nihil ſciri poteſt neceſſum eſt idipſum ſcire, quod nihil ſciatur, ſi autem ſcitur poſſe nihil ſciri, falſum eſt ergo, quod dicitur nihil poſſe ſciri*, datur igitur in nobis ſcientia: ita tamen ut, *neque omnia ſcire poſſimus, quod eſt Dei, neque omnia neſcire quod pecudis. Eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis, ideſt, ſcientia cum ignoratione conjuncta*.

XII. Ad cujus certæ, evidentiſque cognitionis aſſecutionem neutiquàm de rebus omnibus neceſſe eſt dubitare, quem admodum Sceptici, & impræ-

ſententiarum Carteſiani dictitant, cum pleraque inveniantur, quæ unico dumtaxat intuitu extemplò perſpiciuntur. Quapropter nullius roboris, & efficaciæ videtur illud principium, quod tamquam baſim, & fundamentum putant Philoſophiæ ſcilicet, *ego cogito*, *ergo ſum*. Si enim ex Carteſii mente dubitare debemus de rebus omnibus, etiam de primis principiis, immo de Dei exiſtentiâ, ac noſtrâ, ut in earum deveniamus notitiam, potiori jure de illo principio dubitare quis debet, & ſic ex dubitatione in rei cognitionem devenire nuſquam poſſumus. Nec valet cum Carteſio reponere *princ. par.* 1. §. 7. & 10. repugnare ſcilicet id quod cogitat non eſſe cum cogitat. Sed cur repugnat, inquiet ille? Quia adverſatur naturæ lumini, quo notum eſt non entis nullas eſſe paſſiones? Ergo quæ adverſantur naturæ lumini, & quorum falſitas per ſe innoteſcit repudianda, utpote falſa, jubet Carteſius, admittenda vero, utpote certa, quæ conſentanea naturæ lumini, & per ſe nota. Verum ſi naturali lumine mihi innoteſcit totum eſſe ſua parte majus non ſecus ac eum qui cogitat eſſe dum cogitat; cur ergo credam illum eſſe qui cogitat, non verò credam totum eſſe majus ſua parte.

XIII. Rejectis quoque Ideis, ex quibus in nos delabitur veritas omnis, quæque obrutæ oblivione diſcendo quodammodo reſodiuntur, ſtrictam admittimus ſcientiæ acquiſitionem; nec reminiſci nos earum tantùm aſſeveramus, quæ jam proſpeximus ſoluti, & liberi in mundo intelligibili juxta Platonem. Nemo quidem profectò ſcire deſiderat, quod prorſus latet, ſicut nec hominem quiſpiam quærit, quem nuſquam novit; ſed quod in ſolis antea principiis cognitum erat in ſemetipſo deinde aſſequi cupimus, uti luculenter prodidit *Angelicus* 1. *poſt. lect.* 3. Nec id, quod quis addiſcit erat omninò priùs notum, ut Plato poſuit, nec omninò ignotum; ſed erat notum potentiâ, ſeu virtute in principiis præcognitis univerſaliter; ignotum autem actu ſecundum propriam cognitionem; & hoc eſt addiſcere, reduci, ſcilicet, de cognitione potentiali, ſeu virtuali in cognitionem propriam, & actualem.

XIV. Cum contradictio per ſe ſequatur formam, ſeu qualitatem propoſitionis, idcirco attenditur dumtaxat penes affirmationem, vel negationem; determinatio verò metitur, ex objecto, ſive materia, in qua exercetur veluti forma: cumque objectum ſive materia determinata in actu ſit, ſi de præſenti, aut de præterito ſermo habeatur, propterea vera eſt enunciatio tam de præſenti, quam de præterito. Vera autem non eſt determinatè ante decretum enunciatio de ſingulari futuro libero; verſatur enim circa objectum omninò indifferens, nec ullo pacto determinatum. Quam ob rem negant Thomiſtæ aliquid eſſe ante decretum aut futurum determinatè, aut determinatè non futurum. Nam licet inter eſſe, & non eſſe non detur medium; tamen inter eſſe determinatè, & non eſſe determinatè datur indifferens, atque poſſibile, quod poteſt eſſe, aut non eſſe.

EX

EX PHYSICA GENERALI.

XV. PHyſicam, ſive rerum naturalium ſcientiam, ab Ariſtotile proinde Phyſiologiam dictam inter præcipuas Philoſophiæ partes recenſendam eſſe arbitramur, cum ejus ſtudium, & argumenti amplitudine commendatiſſimum, rerum varietate jucundiſſimum, & ſua in omnes artes fœcunditate humano generi ſemper utiliſſimum fuerit. Hinc mirari non ſubit, ſi hanc præcellentem rerum naturalium ſcientiam præ ceteris Philoſophiæ partibus veteres excoluerint, & elegantiſſimis quoque ornaverint carminibus.

XVI. Quamvis autem Heſiodus, & Homerus, aliique Poëtæ memorentur circa rerum naturas philoſophati, tamen quia, ut meritò conqueritur *Ariſtoteles lib. 2. Metaph. cap. 4.* ita obſcurè locuti ſunt, ut quid ſibi vellent ſoli intellexerint; quid nos verò intellecturi eſſemus non habuerint curæ; quapropter cum Plutarco, & Cicerone dicendum eſt, Thaletem Mileſium primum fuiſſe, qui uberiori minerva nominibus Deorum relictis naturales cauſas explanavit propriis, uſitatiſque vocabulis rerum, omniaque ad ſuas naturales cauſas retulit.

XVII. Verum enim verò quamvis Thales Mileſios Poëtas ante ſe philoſophatos ſuperarit, cedere tamen, primamque locum, ac palmam tradere debet Ariſtoteli Philoſophorum Principi, qui inter veteres Philoſophos in rebus Phyſicis clarior, magiſque celebratus exiſtit. Lucretium quoque magnopere extollunt plurimi, licet ille Democriti, & Epicuri Philoſophiam ſcriptis conſignaſſe, non inventa ſua promulgaſſe videatur.

XVIII. Præter hos duos Ariſtotelem, & Lucretium nullus ex veteribus inveniri poteſt, qui univerſam Phyſicam libris ſuis ſic fuerit complexus, ut varios naturæ effectus in quavis materia per proprias eorum cauſas explicandos ſuſceperit. Plinius enim naturæ Hiſtoriam ſcripſit; ſed rerum cauſas non eſt ubique perſecutus. Hippocrates in rebus dumtaxat medicis operam ſuam collocavit, ceteras inſuper habuit. Mitto Theophraſtum, Dioſcoridem, Elianum, ceteroſque, quorum vel ſcripta ad nos integra non pervenere, vel qui partem tantum aliquam ſcientiæ naturalis attigerunt, omiſerunt reliquas. Quicquid igitur ex veteribus expectare poſſumus id præſertim ex Ariſtotele, & Lucretio, relictis tamen erroribus petendum videtur.

XIX. Senſibilem ſubſtantiam, cujus conſiderationi, atque contemplationi Phyſiologia incumbit, duplicem eſſe aſſeverat *Ariſtoteles lib. 12. Metaph. textu 6.* unam, ſcilicet, incorruptibilem, & ſempiternam, ſubſtantialiſque mutationis expertem, cujus naturæ vult eſſe cœlos; alteram verò corruptibilem ſublunarem, quam omnes conceduut, uti ſunt plantæ, & animalia. Quam quidem ſubſtantiarum diſtributionem, earumque dotes variis numinum umbris, & fabularum corticibus Mythologici traditam reliquerunt. Per Aſculapium enim, quem ingentis, & prolixæ barbæ Senem depinxerunt (*Auctore Luciano in Jove tragœdo*) res omnes corruptibiles, & quæ

prope interitum ſunt ſignificatas voluerunt. Per Apollinem verò res omnes ſenſibiles, incorruptibiles, quem idcirco ſemper imberbem, ſemperque juvenem, nec unquam pubeſcere, aut primâ barbæ lanugine veſtiri finxerunt, quemadmodum ex antiquorum opinione ſic cecinit Callimachus.

Formoſus ſemper, ſemper juvenisque nec illi
Fœmineæ quantum migrent lanugine malæ.

Tametſi verò Aſculapius in tam proveſtâ ab eis fingeretur ætate, ipſum tamen Apollinis, & Nimphæ Coronidis filium eſſe fabulati ſunt. Ut Homerus his carminibus cecinit:

Elleborum medicum canto, quem diva Coronis
Ex Phœbo peperit.

Ut innuetet ſubſtantiam cœleſtem apud ipſum incorruptibilem omnibus corruptibilibus generationis principium cenſeri debere.

XX. Eſto autem inter Philoſophos quidam Antiqui, Parmenides, ſcilicet, & Meliſſus (*Ariſt. lib. 3. de Cœlo cap. 1.*) viderent prorſus in dies oriri, ac interire multa, generationem tamen, corruptionemque ſimpliciter è medio ſuſtulerunt, ſolam accidentalem, & ſecundum quid admittentes, qua nempè aliquid ex aliquo accidente, in aliud accidens migrat manente eodem continuo corpore phyſico ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale; ſi enim hujuſmodi generatio ſubſtantialis admitteretur, inde conſequi putabant, quod ex non ente, ſive ex nihilo aliquid gigneretur, quod omninò abſurdum arbitrabantur. Verum enim verò ex Simplicio Angelicus Doctor annotat reipſa quidem Parmenidem, & Meliſſum præſtantiſſimos Philoſophus generationem, corruptionemque a rebus ſublunaribus non abſtuliſſe, ſed tantùm multa generationi, ac corruptioni eſſe obnoxia ſenſiſſe. Quis enim ſibi perſuadeat eos non obſervaſſe moveri, & naſci, morique plurima in mundo; aut ſaltem non agnoviſſe ſe eſſe genitos? Attamen more ſuo ab Ariſtotele, ait, fuiſſe redargutos, quoniam verbotenùs generationem corruptionemque negare videbantur, ex eo quod omnia ens unum, ac immobile, ſive immotum dicerent. Per iſtud autem ens immobile, & unum intelligebant Deum, qui ſolus per eſſentiam, & cum veritate eſt; hoc eſt, ens, ſive exiſtens omnis, & cujusque motus, ac mutationis expers, omniumque motuum cauſa exiſtens. Porrò ſenſibilia verè entia non eſſe arbitrabantur, quippe quæ in continuo motu, & mutatione verſarentur, ſubindeque in iis propriè, & in veritate generationem, corruptionemve non eſſe; cum nihil generetur niſi ut vere ſit, aut corrumpatur, niſi ut deſinat eſſe.

XXI. Democritus autem, & Leucippus, Anaxagoras, & Empedocles, licet verbotenùs ſubſtantialem generationem, corruptionemve admiſerint, ut tamen conjicere poſſumus ex eorum verbis, nonniſi alterationem, ſive accidentalem mutationem ineſſe in his rebus ſublunaribus agnoviſſe dicendum eſt. Democritus enim, & Leucippus cum omnium rerum principia atomos aſſevererent ex multimodâ, multiformique eorum varietate ſecundum diverſam figuram, &c. generationem, & corruptionem oriri cenſuerunt, aſſerentes dictorum congregatione, & coalitione corporum inſectilium generationem fieri, eorum verò ſegregatione corruptionem. Cum enim ejusmodi Philoſophi exiſtimarent id dumtaxat eſſe verum, quod verum eſſe appa-

Google

paret, & diverſis hominibus tam diverſa, & contraria, penèque infinita, inter ſe diſcrepantia videantur, ut maxima opinionum varietas oſtendit, ut horum omnium quodammodo ratio aſſignari poſset, pro rerum principiis infinitas invexerunt atomos, alias leves, alias aſperas, alias rotundas, angulares, curvatas, aduncas, quarum tranſpoſitu res alio, & alio modo ſenſum afficerent. Quandoquidem iſtiusmodi commutatio magnam ad id vim obtinet, etiam dum fit acceſſu unius, vel minimæ particulæ, vel dum non pars in ipſo toto Ordinem, vel ſitum variat: quemadmodum ex iisdem litteris varie copulatis omnis in dictionibus diverſitas proficiſcitur, quibus comœdia, vel tragœdia, vel alius quivis ſermo conſtat. Aliud exemplum adducit Angelicus Doctor in columbis, quarum Colla, ait, *Plinius lib. 37. cap. 5.* ad ſingulas converſiones colorem mutant. Et *Apulejus lib. 2.* de Aſino aureo varietatis hujuſce venuſtatem floſculum viſui jucundiſſimum nuncupat, de qua etiam colorum diverſitate *Lucretius lib. 2. de natura rerum*, ita cecinit:

Pluma columbarum quo pacto in luce videtur,
Quæ ſita cervices circum collumque coronat;
Namque alias fit, uti claro ſit rubra pyropo;
Interdum quædam ſenſu fit, ut videatur
Inter cæruleum virides miſcere Smaragdos.

XXII. Anaxagoras autem conſtituens rerum naturalium plura principia; hoc eſt innumeras partes ſimilares, res gigni dixit ex iis quæ ſunt, atque inexiſtunt, ſcilicet carnem gigni ex carne, & os ex oſſe, album ex albo; quatenus hæc, quæ prius in ipſo mixto latebant de occulto prodibant in manifeſtum: prodibant autem, quæ potiſſimum in ipſo mixto prædominium habebant, exempli gratia, in pane actu eſse una cum iſtius partibus commixtas particulas carnis, oſſis, ligni, lapidis, aliarumque rerum; at particulas panis eſſe potiores numero, ac prædominio, ac proinde ab eis occultari ceteras minores, ac numero pauciores. Subdit proinde, *cujus rei quidpiam plures habet particulas hanc ipſam videre illius naturam*. Unde conſequitur Anaxagoræ generationem, & ortum rerum nil aliud fuiſse, quàm partium delitеſcentium novam quamdam apparitionem, & in lucem eductionem ex earum concretione ortam, ob quam corpus talibus concretum rebus talem naturam habere videtur, ac ſpeciem.

XXIII. Empedocles inſuper generationem ſubſtantialem nil aliud eſſe exiſtimavit, quam rerum quandam concretionem, ſive miſcibilium admixtionem, atque concretionem, ſicuti hæc ipſius carmina apud *Plutarcum lib. 1. de placitis cap. 3.* oſtendunt:

Aſt aliud dico, nihil eſt mortalibus ortus,
Eſt nihil interitus, qui rebus morte paratur;
Mixtio ſed ſolum eſt, & commixtio rerum
Miſcibilium: hæc dici ſolita eſt mortalibus ortus.

Itaque Empedocles cum Anaxagora in eo conſenſit, nullam de novo gigni ſubſtantiam, quæ non præextiterit. Diſcriminati autem ſunt inter ſe; quoniam

niam Empedocles aſſeruit os carnem, aliave hujusmodi ſimplicia eſſe; quatuor verò elementa eſſe mixta, quoniam cetera omnia actu continebant: unde exiſtimabat res generari per ſecretionem a mixto. Anaxagoras autem elementa ſimplicia conſtituit, affirmavitque elementorum coalitu res effici, & conſtitutas ſecerni, & apparere per quandam earum ad invicem concretionem.

XXIV. Cum igitur, ut probat rerum viciſſitudo, oculorumque experientia, quæ modò naſci, modo interire quæque conſpicimus; nec non res nedum accidentaliter; ſed & ſubſtantialiter differre, ut hominem a bruto, hoc a planta, iſtam a lapidibus, & ſic de ceteris, contra ſupra recenſitos Philoſophos dicendum eſt in rerum natura dari mutationem ſubſtantialem, cujus terminus eſt nova ſubſtantia, & ab accidentibus diſtincta, & non tantùm ſola congeries accidentium, ut perperam Gaſſendiſtæ, aliique recentiores arbitrantur, illius porrò generationis principia ſunt materia, forma, & privatio.

XXV. Hinc prima rerum principia vocari non debent neque elementa Carteſii, neque atomi Epicuri, neque Chimicorum elementa, neque Anaxagoræ particulæ, in quorum refellendis principiis uti libet verbis, quibus D. *Parens Auguſtinus Epiſt. 65.* ſic de atomis opinionem perſtringit. *Pudet me jam iſta refellere, cum eos non puduerit iſta ſentire, cum verò auſi ſint etiam iſta defendere, jam non eorum; ſed ipſius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.* Licet autem Anaxagoras in ſuis conſtituendis particulis de rebus ſenſibilibus contra ſenſibilem experientiam ſit loquutus, meritò tamen ab Ariſtotele commendatur, quod omnium primus huic materiali principio adjecerit mentem Divinam, quæ ſuâ ſapientiâ particulas diſponeret in variarum rerum ſpecies, in quo ſanè præ ceteris antiquis laudandus eſt, qui via Dei mentionem fecere in explicandis rerum naturalium principiis.

XXVI. Cum ex nihilo, vi naturalis agentis nihil fiat, vel in nihilum nihil revertatur, quemadmodum *Perſius Satyra 3.* expreſſit:

De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Sane conſequens eſt, & naturæ rerum maximè conſentaneum primum aliquod eſſe ſubjectum, ex quo omnia deriventur, & originem trahant, & in quod ceu ultimum abeant dum corrumpuntur, quod ſubjectum generationis, & corruptionis materiam eſſe, quæ neque eſt actus, neque nihil; ſed prope nihil a formâ ſubſtantiali diſtinctam, ex *Ariſt. lib. 7. Metaph. textu 8.* & ex D. Auguſt. expreſſis verbis colligitur. Ipſe enim *lib. 12.* confeſſionum hæc habet: *Nonne Domine tu docuiſti me, quod priuſquam iſtam informem materiam formares, atque diſtingueres non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus, non tamen omnino nihil: erat quædam informitas ſine ulla ſpecie.*

XXVII. Materia igitur licet perfecta ſit in ſuo ordine, ac concreata, teſte Auguſtino *lib. 1. de Gen. ad litteram cap. 15.* & D. *Thom. quæſt. 3. de potentia art. 1. ad. 12. rebus*; mutuatur tamen omne eſſe a forma, quin ullo penitùs potiatur ſecundum ſe actu exiſtendi. Nec ſunt hæ nugæ, quas neque ſternenti Ariſtoteli in mentem veniſſe putandum eſt, ut nuper cecinit in ſua Diatriſi. Q. Lucius Alphæus, ſi quamquam alta doctrina ejusmodi

Digitized by Google

modi eſt in Philoſopho manifeſtiſſime. Nam argumentum centies recoctum diſſolvens *1. Phyſ. lib.* ... docet materiam mediam eſſe inter ens actu, & purum nihilum, quia eſt realis entis potentia. Et D. Thomas Senſa Philoſophi apprimè callens, *materia*, inquit, *7. Metaph. lect. 2. non poteſt per ſe exiſtere ſine formâ, per quam eſt ens actu, cum de ſe tantum potentia ſit*. Quod etiam ratio ſatis oſtendit; ſubſtantialis etenim forma eſt actus primus, & exiſtentia eſt actus ultimus, ultimum autem ſupponit primum eſſentialiter. Deinde exiſtentia illa materiæ, quæ dubio procul corporea eſſet, neque ſpecifica cenſeri poſſet, cum deſumatur *a* formâ phyſica gradus ſpecificus, neque generica; cum non exiſtat abſque ſpecifico gradus genericus. Eam ob rem, cum materia prima pro eo priori quo intelligitur cauſare formam materialiter, neque intra cauſas ut quid poſſibile, neque extra ut quid exiſtens *a* nobis ponitur; ſed ſub agentis cauſalitate, & in tendentiâ ad exiſtentiam recipiendam: ſiquidem cauſa materialis ab efficienti diſcriminatur, quod hæc dat eſſe, illa recipit.

XXVIII. Corpoream formam extrahi volumus ex ſinu veluti materiæ primæ, in qua non actu, ut aurum in area continetur; ſed poteſtate, ut Statua in ære præcontinetur; extrahi autem de potentiâ materiæ nihil eſt aliud ex *D. Thom. prim. par. quæſt. 90. art. 2. ad 2.* quàm aliquid fieri actu, quod priùs erat in potentiâ. Quamquam autem toti quævis pars ineſt; una pars tamèn non ineſt alteri, eo fermè modo, quo toti humano corpori, & caput ineſt, & pedes inſunt. Si ſuum igitur non fieri caput ex pedibus reponit Rocchius, & nos reponimus nec ex materiâ fieri formam, ſi hoc vocabulum propriè uſurpetur. Enim verò. *Quod propriè fit*, inquit S. Doctor *par. 1. q. 110. art. 2. in corp. eſt compoſitum*, hoc enim propriè eſt quaſi ſubſiſtens; forma autem non dicitur ens quaſi ipſa ſit; ſed id, quo aliquid eſt; & per conſequens nec forma propriè fit; ſi Rocchius igitur contendit diſpoſitionem corpuſculorum de novo fieri, vel fit ex nihilo, & ſic creatur, vel ex dictis corpuſculis extrahitur, & ex potentiâ corpuſculorum exire in actum nobis conſentit, jugulaturque proprio mucrone novus Goliath.

XXIX. Olim Parmenides, & ſeculo quartodecimo nullum agnovit præter ſubſtantiam diſtinctum accidens etiam Witcleff; expreſſe ſiquidem habet in ſumma *cap. 2.* de numero prædicamentorum: *Omne prædicamentum dici ſubſtantiam & ut credo non eſt alia res, ſed alia entia ſunt habitudines vel modi accidentales, inexiſtentes ſubſtantiæ*. His præceptoribus ſuffragium ſuum dedit Carteſius, dedit Maignanus, quos P. Saguens *dialog. 1.* contra Palancum *num. 27.* appellavit *primarios ſagenæ in locis quidem valde difficis; ſed iiſdem boris incumbentes elaborandæ novæ Philoſophiæ novæ, quæ veterem abolerent*. Alienam tamen *a* Sanctis Patribus ſententiam hujuſmodi cenſuit Waldenſis Carmelitani Ordinis decus, quem maximoperè commendavit Martinus V. Candor corporis, ait D. Auguſtinus *lib. 7. de Trin. cap. 1.* non eſt eſſentia, & illa ejus qualitas unde ab ea dicitur candidum corpus, cui non hoc eſt eſſe quod candidum eſſe. Ita D. Baſilius *hom. 6. in Exameron*. D. Gregorius Niſſenus *lib. de conditione hominis cap. 24.* denique D. Anſelmus, ne in re clariſſima nimii videamus, tractatu de Incarnatione Verbi *cap. 2.* hæc dicit: *Cumque omnes, ut cautiſſimè ad ſacræ paginæ quæſtiones accedant, ſunt commonendi illi utique temporis Dialectici, immò Dialecti-*

leſtes Heretici, qui colorem non aliud queant intelligere, quam animum prorſus a ſpiritualium quæſtionum diſputatione exſuſiondi. Hinc non immeritò concludit Waldenſis de Sacramento Eucbariſtiæ *cap*. 78. *Quid groſſius, quàm decore colorem equi mei, nihil aliud eſſe quàm equum meum ſic ſe habentem!*

XXX. Ad cujus noſtræ opinionis munimen ad aſſerendam ſubſtantiam inter, & accidentia phyſica diſtinctionem realem, maximè valet Concilii Conſtantienſis deciſio; anno enim 1414. Seſs 8 & Sacroſ. Synodus damnavit illud Witcleff aſſertum *Accidentia non remanent in Sacramento Altaris ſine ſubjecto*, *ergo* Vera eſt contradictoria hæc propoſitio. *Accidentia remanent in Sacramento altaris ſine ſubjecto*, ſcilicet, ſine panis vinique ſubſtantia, cum igitur ſeparata exiſtant accidentia ab ipſa ſubſtantiâ, ab ipſa quoque diſtingui aſſerere cogimur. Porrò haud neſcii ſumus ſpecierum nomine Tridentinum Concilium *Seſs*. 13. *Can*. 2. vetereſque Patres frequenter uti, nil tamen aliud ſpecierum nomine veteres PP. ac præſertim Sacroſanctam Synodum intellexiſſe, quam accidentia phyſica intrinſeca ex Catechiſmi verbis, qui Tridentini verba exponit, & quaſi illius eſt commentator juxta fraſim Bellarmini clariſſimè eruitur. Catechiſmo conſentiunt Patres Concilii, qui ſcripta ſua typis vulgarunt, omneſque ferè doctores ceteri ſi Maignanum, Carteſium, Saguens, alioſque paucos hujus farinæ viros excipias.

XXXI. Si igitur admitti debet ſubſtantia ab accidentibus diſtincta nec non materia a formâ ſubſtantiali, per quam, ſcilicet, ad determinatam ſpeciem reducatur, non ultra quærendum in quo ſita ſit corporis phyſici, ſive naturalis eſſentia. Apage ergo Carteſii, nec non Gaſſendi opiniones de hujuſcemodi corporis eſſentia conſtituenda in trinâ dimenſione, quæ eſt tantum corporis phyſici proprietas, & Mathematici dumtaxat corporis eſſentia, vel in impenetrabilitate, ut dicit Gaſſendus, cum ſine ipſâ corporis eſſentia concipi poſſit; dum enim corpora ad invicem penetrari poſſunt, in uno, eodemque loco conſtitui, quamvis idem corpus pluribus in locis circumſcriptive exiſtere repugnet; Quidquid in contrarium Scotiſtæ obtendant.

XXXII. Quæ cum ita ſint, quod corporis phyſici natura a Mathematici corporis naturâ diſtincta ſit, & intelligitur; ideo quamvis concedamus continuum Mathematicum in infinitum eſſe diviſibile, neutiquam tamen corpus, vel continuum phyſicum in infinitum phyſicè dividi poſſe arbitramur.

XXXIII. Optimè ab omnibus Philoſophis quatuor cauſarum genera recenſentur ne tamen in cauſis efficientibus in infinitum procedatur inter illas admitti debet una, quæ ſit omnium prima, in ſe immota, & omnia movens, Deus, ſcilicet, O. M. cujus tanta vis eſt & poteſtas, ut ipſas hominum voluntates non moraliter ſolum, & ſimultanee, ſed phyſicè, & prævie moveat; concurſus enim moralis, & ſimultaneus indifferens eſt non determinans, cum quo nequaquam intelligi valet Deum primum motorem primamque cauſam eſſe: *Deus enim*, inquit D. Auguſtinus de correptione, & gratia *cap*. 14. de voluntatibus hominum quod vult, cum vult facit; habet enim cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Perperam autem concurſum indifferentem inſerunt aliqui, ex *D. Thoma de potentia art*. 4. *ad* 3. *dicente Cauſam primam maximè influere in effectum*, *ejus tamen in-*

fluen-

fluentiam per cauſam proximam determinari. At ignobilium flammarum inſtar non prius micant, æſtivo tempore quam extinguantur; adducti enim Textus ea vis eſt, per quamlibet nempe, cauſam ſecundam determinari influxum Dei, quatenus, ſcilicet, Deus ſeſe naturis rerum accomodans proportionatum concurſum exhibet; id quod Mellifluus exemplo animæ varie operantis in variis organis, atque Chryſoſtomus exemplo roris ſeſe explicantis varios in flores, mirè confirmant. At nemo melior Thomæ interpres quam ipſe Thomas, qui 1. *p. q.* 105. *art.* 1. *ad* 3. aſſerit hoc ipſum, *quod cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis a Deo*, *& quæſt.* 3. de potentia *art.* 7. ad 13. *Voluntas dicitur habere dominium ſui actus non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia ipſa non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet ſicut determinat naturam.*

XXXIV. Deus igitur ex D. Thoma ita eſt prima cauſa primuſque motor omnium omninò cauſarum tam naturalium, quàm voluntate præditarum; ut tamen in eis operetur ſecundum earum naturam, & exigentiam, cauſas ſcilicet naturales ita prævie movendo, ut neceſſariò operentur; liberas verò, ut cum indifferentiâ, & plenâ libertate ſuos exerant actus, ut expreſsè ait *S. Doctor* 1. *p. q.* 83. *art.* 1. Deus igitur eſt prima cauſa movens cauſas naturales, & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis eas movendo non aufert quin actiones earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias non aufert quin earum actiones ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit. operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem. Perperam itaque everſum iri libertatem ex præmotionis efficaciâ probant nonnulli: *cum enim*, ſubdit *Angelicus* 1. *p. q.* 19. *art.* 8. *in corp. Voluntas Dei ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed eo modo, quo Deus vult fieri: vult autem quædam fieri neceſſario, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus, ac complementum univerſi; & ideo quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt; quibuſdam autem aptavit cauſas contingentes, ex quibus effectus contingenter eveniunt.*

XXXV. Præmotio igitur determinans voluntatem ad unum libertatem ejus non lædit; ſed perficit, ablatâ ſiquidem indifferentiâ paſſivâ, quæ eſt ſuſpenſio ab omni actu, & imperfectio libertatis (in Deo enim liberrimo non invenitur) remanet indifferentia activa, ſeu dominativa, qua voluntas præmota infallibiliter vult cum poteſtate nolendi, eo fermè modo, quo poſitâ determinatione efficaci propriæ voluntatis, vult Moliniſta voluntatem habere poteſtatem nolendi: utique ab extrinſeco eſt præmotio. At ab extrinſeco eſt in ſuâ poteſtate habente hominum voluntates magis, quam ipſi ſuas, & cauſante ſubſtantiam, & modum actus. *Perſcitatur*, ait Auguſtinus in Enchiridion, *ipſum noſtræ confeſſionis initium, quo nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur; ſi quidquid homines præſtant in poteſtate Omnipotentis non ſit*. Nec auctor peccati dici debet Deus, cum ejus ſit ultor, licet enim ad materiale, quod in ſe bonum eſt motio Dei ſe extendat non verò ad formale, ſive ad malitiam concurrit; ſed ex noſtræ voluntatis defectibilitate procedit.

XXXVI. Quamvis autem efficaciſſima ſit Dei voluntas, ut cauſas liberas, & neceſſarias phyſicè præmoveat, ac omnia in omnibus operetur; perperam

ta-

Digitized by Google

tamen *Carteſius part. 2. princip. num.* 36. exiſtimat ſubſtantias purè corporeas nihil efficere, nihilque operari, nec cauſæ efficientis nomen mereri poſſe; quapropter idem Carteſius de continuitate motus refellitur; falſum enim eſt eamdem motus quantitatem à Deo primus creatam, perpetuò in corporibus conſervari, cum experientia doceat motum in naturâ deſtrui, novumque peinde generari oporteat: ſicuti meritò reprehendi debet idem Carteſius in ablegandâ finalis cauſæ cognitione in rebus phyſicis, ut habet 1. *p. princip. num.* 28. Licet enim non in ſenſu Epicuri, providentiam Dei auferentis aſſervaverit; ſed prætexto humilitatis tenendæ, & curioſitatis vitandæ circa fines ad quos quælibet res ſunt à Deo ordinatæ; tamen quia ex denegatione cauſæ finalis Epicurus in errorem prolapſus eſt providentiam quoque Dei denegando; ideò cum ceteris Philoſophis cauſæ finalis cognitio admitti debet.

XXXVII. Cum igitur omnia à Deo Optimo Maximo mirabili providentiâ ad proprios fines ſint ordinata, idcirco à Chriſtianâ Religione eliminanda ſunt hæc fortunæ, & caſus nomina, quæ Gentiles ſuis obſequentes inſomniis ad evertendam providentiam effinxerunt. Qui eo tandem dementiæ appulerunt, ut fortunam inſanam, cæcam, informem, ſaxo globoſo, ac volubili reſidentem deſcripſerint, quæ divitias, egeſtates, victorias captivitateſque indiſcriminatim effunderet. Hinc Horatius ajebat:

Fortuna ſævo læta negotio,
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

XXXVIII. Nullum dari vacuum ſive coacervatum, ſive diſſeminatum, quod utique à Lucretio his aſſeritur carminibus *lib.* 1.

Omnis ut eſt igitur per ſe natura duabus
Conſiſtit rebus, quæ corpora ſunt, & inane.

Nec ipſis naturæ viribus induci poſſe contrà Gaſſendum defendimus; effectus tamen illos, qui rudi minervâ præcisè in horrorem vacui refunduntur in atmoſphæræ gravitatem refundi poſſe, & debere ad intuitum tantum impediendi vacuum ex ipſo Ariſtotele deprehendi poteſt: Ipſe enim *lib.* 4. *de Cœlo c.* 4. docet, utres aëre plenos, ipſis aëre deſtitutis graviores eſſe.

EX PHYSICA PARTICULARI.

XXXIX. PLures Mundos exiſtere ineptè, & inſulsè poſuere Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Xenophanes, Leucippus, Democritus, & Epicurus, quin & Anaxarchus, de quo Plutarchus libro de tranquillitate animi hæc habet: *Cum Alexander de mundorum infinitate diſſerentem audiviſſet Anaxarchum illacrymaſſe perhibetur, rogantibuſque amicis, num ei aliquid dignum lacrymis accidiſſet, reſpon-*

ſpondiſſe. an indignum eſt nos flere, ſi cum infiniti mundi eſſe perhibeantur nondum unius Domini ſumus? Hinc Juvenalis Satyrâ decimâ, ſic cecinit.

Unus Pellæo juveni non ſufficit Orbis
Æſtuat anguſto concluſus limine mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis parvaque Seripho.

Unicum tamen eſſe Scriptura teſtatur maximæ quidem amplitudinis; non infinitæ tamen, ut Plinius, vel indefinitæ ut Carthesius exiſtimavit.

XL. Quamvis etiam Mundus potuerit eſſe ab æterno, illum tamen in tempore fuiſſe productum, ſuppoſitâ fide naturalibus quoque rationibus, & congruentiis oſtendi poteſt. Quapropter *Lucretius lib.* 5. deridens de æternitate Mundi opinionem ſic ait:

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cœli, ſemperque æterna fuere;
Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere, nec uſquam
Æternis famæ monimentis inſita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem ſumma, recenſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cœpit.

XLI. Qua verò tempeſtate Mundus a Deo Optimo Maximo productus fuerit, in illam fas eſt propendere Sententiam, qua aſſeritur æquinoctio vernali ſole exiſtente in ariete, non vero autumnali exiſtente Sole in libra conditum eſſe quam certè opinionem tamquam probabiliorem celebriores Doctores, Aſtronomi, nec non Poëtæ ad Sartam tectam propugnarunt, qua de re *Virgilius lib.* 2. Georgicorum belle cecinit:

Non alios primâ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumque habuiſſe tenorem
Crediderim, vel illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus euri.

XLII. Inter univerſi partes puriorem, ac nobiliorem eſſe Cœlorum ſubſtantiam ab omnibus admitti debet; An autem ſolidi, & incorruptibiles ſuapte naturâ ſint Cœli, an potius fluidi, corruptibiles ſicuti elementa; licet definiri vix poſſit, & ex utraque parte rationes ſint non ſpernendæ; tamen ut ſalventur corporum cœleſtium phenomena probabile eſt, & tamquam hypotheſis ſuſtineri valet Cœlos ſaltem planetarios fluidos eſſe: Unde P. Arnu Ordinis Prædicatorum in celeberrimo Patavino Lycæo, quondam publicus Metaphyſices profeſſor *tom.* 4. *de Cœlo lib.* 4. *art.* 4. Hæc verba habet: quapropter Cœlos planetarios eſſe fluidos ſuâ magnâ probabilitate non caret.

XLIII. Ex innumeris erudimur hiſtoriis maximas, & incredibiles terræ, mariſque mutationes variis temporibus contigiſſe, præcipuè ex terræmotibus, quo-

quorum irruptione Siciliam ab Italiâ, Euboeam ab Achaja, aliaque id genus complura a ſe invicem disjuncta eſſe communiter fertur, quorum Terræmotuum cauſam non aliam eſſe, quam materiam ſulphuream, atque nitroſam intra terræ viſcera in flammam accenſam eruditi viri conſentiunt.

XLIV. Sicuti non ex mare, ſed ex pluviis, liquatiſque nivibus, nec non continuâ vaporum diſtillatione, fontium, fluviorumque originem repetendam eſſe unanimi calculo arbitrantur cum celeberrimo Antonio Valiſnerio, duobus præcipuè momentis, quia, ſcilicet, maris aqua ſalſedinem nequit amittere, ad montium cacumina aſcendere, quod utrumque exigeretur, ſi a mare fontium, fluviorumque repeteretur origo: qui utique varias contrahunt qualitates dum varia ſubterranea loca præterlabuntur, ſicuti mare ſalſedinem, & amarulentiam non aliunde quam ex diſſolutis ſalium fodinis, quæ in ejus alveo extant, ſortitur: ex quo autem ejus mirabilis æſtus, præcipue in noviluniis, & plenilunis, & duobus ſolſtitiis Capricorni, & Cancri, procedat, tam perobſcurum eſt, ut nulli adhuc mortalium exploratum eſſe peregregius Gaſſendus indoleat: licet improbabile non ſit a Lunæ mutationibus hunc varium æſtum procedere.

XLV. Animam verè in rerum naturâ reperiri, cujus ope viventia ſuas exerant operationes, certum eſt. Sicuti plantis profectò animam vegetativam ineſſe ac verè vivere, ac operationes vitæ vegetativæ exerere, non minus ac animalia, ex ipsâ plantæ ſtructurâ, ac humoris circulatione conſpicitur: Hinc male Epicurus, & Lucretius plantis animam denegarunt. Brutis vero animam etiam ſenſitivam corporeæ cognitionis capacem, ſuaſque miras operationes ſolo fibrarum ordine ac partium texturâ non exerentem adſcribendam eſſe contendimus, quare non eſſe pura automata, contra Carteſium, ejuſque aſſeclas aſſeveramus. Porrò quemadmodum plantæ omnes ex certis ſeminibus mediatè, vel immediatè naſcuntur, ita ſingula animalia, etiam quæ vocantur inſecta ex ovis fœcundatis oriri, proindeque nullam ex putri dari generationem cum eruditis viris, præcipue Franciſco Redi, Malpighio, & aliis annuente clariſſimo P. Graveſon *tom.* 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſecundæ mundi ætatis colloquio 1. *pag.* 280. editionis Romanæ, ſtrenuè defendimus.

XLVI. Dari etiam in corpore vivo Sanguinis circulationem, ita ut ſpatio viginti quatuor horarum ſic perficiatur, ut a ſiniſtro cordis ventriculo per magnam aortam ſanguis in arterias, & venas ſurſum, ac deorſum effundatur, & ſic per venam portam exiſtentem in hepate tranſiens ad cor regrediatur per venam cavam dextero cordis ventriculo adjacentem, & poſtea in venam pulmonarem ejuſdem dexteri ventriculi effundatur, ac ex ipſo ad aliam venam pulmonarem ſiniſtri ventriculi reſiliat, apud noſtri temporis anatomicos compertum eſt:

XLVII. Diſſipato corpore animam quoque rationalem diſſolvi Epicureis impoſſibile probatu eſt; quandoquidem eam ſuapte naturâ immortalem eſſe, ac a corpore independentem in eſſe, indeque incorpoream, & immaterialem quamplurimis efficacibus argumentis evincitur.

XLVIII. Hanc etiam non ex parentibus inſtar flammæ traduci; ſed ex nihilo a ſolo Deo creari, ac in corpus infundi, corporeiſque ſenſibus pro hoc ſtatu conjunctionis alligari, ac ab illis tamquam ab inſtrumentis aliquomodo

do dependere certum eſt: hinc jurè meritò Peripatetici omnes cum Gaſſendo, Clerico, & Loch contra Carteſium, Mallebranchium, Antonium Arnaldum, ceteroſque Carteſianos ſtrenue defendunt illud Philoſophi axioma, *nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu* vel mediatè, vel immediatè, proindeque nullas in mente dari Ideas innatas; ſed omnes ex ſenſatione vel reflexione produci.

EX METAPHYSICA.

XLIX. Celeberrimam omnium naturalium facultatum, atque præſtantiſſimam Sacræque Theologiæ ſtudio maximè conſentaneam, utilemque eſſe Metaphyſicæ ſcientiam ex eo facile conjicitur, quod Metaphyſicæ nomen idem valet, ac Tranſnaturalis, ideſt rerum ſupra omnem naturam corpoream poſitarum contemplatio; rationes enim, & affectus omni enti ſive creato, ſive increato, materiali, ſive immateriali communes intimè ſcrutatur, & inſpicit: hinc primæ Philoſophiæ nomen obtinuit, non quod tantum cæteras ejus partes dignitate antecedat, ſed etiam quia prima earum principia, ſupremaſque earum rationes complectatur; qua de re ceterarum Princeps jure habetur, ac domina: quod ſi quid in earum principiis ambiguum ſit ad ſupremum ejus tribunal diſcutiendum, confirmandumque pertinent. Dicitur quoque Theologia naturalis, eo quod ſola de divinis rebus quantum naturali lumine ſciri poſſunt ex profeſſo pertractet.

L. Quis autem hujus nominis *Metaphyſicæ* auctor fuerit certum eſt nec ab Ariſtotele, nec ab ullo ex veteribus Philoſophis hoc nomen fuiſſe uſurpatum; ſed ab ipſius Ariſtotelis interpretibus Alexandro, ſcilicet, Aphrodiſienſi, ac Joanne Philopono depromptum ex inſcriptione, quam Ariſtoteles huic operi præfixit, *Rationali Philoſophia*, ut Strabo *lib.* 13. rerum Geographicarum in Troadis deſcriptione, & Plutarcus in vita Apellicontis commemorant. Cum autem Theophraſtus Ariſt. Diſcipolus, referente Laërtio, multos conſcripſerit libros de eiſdem rebus, de quibus ſcripſerat Ariſtoteles, non deſunt, qui initium Metaphyſicæ Theophraſto tribuant. Verum non illum, ſed Ariſtotelem Metaphyſicæ initium dediſſe teſtantur Doctor Angelicus, & Alexander, qui quatuordecim, vel ſaltem duodecim Metaphyſicæ libros ipſi aſcribendos eſſe autumant; quod autem Textus Ariſtotelis adeo corruptus, & vitiatus in his libris ad nos pervenerit mirandum non eſt; cum ob temporum injurias, tum maximè ob pravas imperitorum emendationes ita depravatus fuerit, ut ordo, perſpicuitas, rerumque connexio plerumque deſiderentur: qua de re perperam Gaſſendus *tom.* 3. *lib.* 1. adverſus Ariſtotelicas exercitationes, *n.* 11. carpit, ac deridet Ariſtoteleos Metaphyſicam.

LI. Cum igitur res, de quibus diſſerit Metaphyſica duplici ratione a materiâ ſecretæ, & abſtractæ ſint nimirum, vel naturæ ſuæ conditione, uti ſubſtantiæ ſpirituales, Deus Angelus, & mens humana, vel per mentis

ipſius

Digitized by Google

ipſius præciſionem, ſive abſtractionem, uti res omnes materiales inſpiciuntur, ut entia ſunt; ideo Metaphyſica bifariam inſcribitur *Ontologia* quidem, quæ, videlicet, circa ens in communi, illiuſque affectiones per mentem abſtractas verſatur, *vel Pneumatologia*, quatenus in ſecundâ ſui parte de Spiritibus agit, de Deo, ſcilicet, de humana mente, & quantum naturalis ratio patitur de Angelis. Si quis igitur Metaphyſicæ rationem quærat recte reſponderi poteſt eam eſſe *præcellentem ſapientiam, quæ circa ens in genere, illiuſque affectiones per mentem abſtractas; ſpectative verò circa ſubſtantias ſpirituales, prout naturali lumine cognoſcendas occupatur*.

LII. Cum Metaphyſicæ finis primarius ſit Deum, ejuſque attributa lumine naturali inſpicere; & alias Deum eſſe licet ſit per ſe notum ſecundum ſe non vero quoad nos, ut Angelicus Præceptor *p.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 1. ideo ut ipſe innuit *art.* 2. probari, ac demonſtrari poteſt per ea, quæ ſunt nobis notiora, ſcilicet, per effectus. Quinque autem rationibus tamquam limpidiſſimis lapidibus, ipſemet D. Thomas *art.* 3. orrendum Atheiſmi Goliath penitus profligavit, ac vicit proſtravit, dejecit.

LIII. Cum verò tota qualiate patet natura Deum eſſe nobis tam clarè innoteſcat, *ut nulla gens tam fera*, ait luculentiſſimus Cicero, *in toto terrarum orbe inveniri poſſe videatur, quæ non etiamſi ignoret qualem Deum habere debeat tamen habendum ſciat*. Hinc non poſſe dari de Dei exiſtentiâ ignorantiam invincibilem, ſtrenuè defendimus. Non per hoc autem cogimur aſtruere Ideam Dei nobis eſſe ingenitam, dicente Apoſtolo *Rom.* 1. *n.* 20. *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*; igitur ex creaturarum inſpectione ad Dei notitiam aſſurgere poſſumus.

Florentiæ Diſputabuntur publicè in Eccleſia D. MARCI
Ord. Prædicatorum, die Junii 1732.

99 933687